



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli

Bugenhagen, Johannes

Basileae, 1524

VD16 B 9232

Capvt IIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

ANNOTAT. IOANNIS POM.

Si hæc uera sunt, quid doctrinis & traditionibus humanis uexaris?

CAPVT IIII.

Alii iudicior

Lex,  
Euāgeliū.

**A**diurat rursum Timotheum, ut omnibus modis undecumq; accepta occasione, quocumque tempore pergat exequi, quæ sui sunt muneris: id est, ut prædicet instanter, siue tempestiuam siue intempestiuā prædicationē quis interpretetur, nihil referre. Verbū dei sicut personis aut locis nō est alligatum, ita neq; temporibus, utcumq; iudicetur. Semper uerbo opus est, ut credamus & perstemus in tentationibus: quandoquidē semper expectamus Christū uenientē, quacumq; tandē uigilia noctis uenerit. Argue peccantes, cōminare iudiciū dei duris, exhortare pios ut pergant, alios ut redeant ad cor. Vides hic mandari prædicationē legis & euangelij. Lex terret, euangelium consolatur. Atq; hæc, inquit, agito cum omni μακροθυμία, id est longanimitate, qua patienter feras, & non cesses à doctrina, si qui mox non credūt, si qui etiā resistunt, fortè post credituri, sicut supra, cap. 2.

Tolerantem malos, &c.

Porrò non frustra monet ita uigilare episcopū. Nā inquit, tempus erit, quando sanā doctrinā non sustinebunt, &c. sicut supra diximus. Hunc populum stultū, qui bonos prædicatores eijcit, & querit tales, qui

prurientibus auribus placeat, describit sic Esaias, cap. 50. Populus ad iracundiam prouocans est, &c.

### Nam ipse iam immolor, &c.

Alia causa cur uigilet Timotheus: nam, inquit, ego amplius huic negotio adesse non potero, qui iam impleto meo ministerio, sum deo per mortem meam immolandus. Hoc iam per spiritum præcognouit Paulus, quo simul Timotheo & omnibus episcopis, constantie & fidei scopum præscribit, ut sui similes munus demandatum exequantur, usque in consumptionem uitæ, ut supra diximus.

### Certamen bonum decertauit.

Non de se, sed de donis dei gloriatur, qui eum confortauerat, ut hæc omnia perficeret: sicut alibi ait, Omnia possum in eo qui me confortat. Quod uero addit, reposita, &c. Nihil est quod hic meritum humanum stulte cogites. De eo enim dicit, quod sibi repositum est, & quod sibi reddendum est à deo, non quod suis meritis debetur. Filius enim erat Paulus & hæres, non seruus mercenarius, qui non manet in domo in æternum. Ipse acceperat omnia à deo, scilicet ut ab impietate conuerteretur ad Christum, fieret apostolus, ministerium egregie expleret, &c. Et hæc ipsa dona deus coronabit. Dei sunt nostra merita, & dei sunt nostra præmia: & rursum ipsius omnia nostra sunt, quia filij sumus

**ANNOT. IOANNIS POMERANI**  
quotquot Christi aduentum diligimus, cuius aduentum certe impij non diligunt: uellent enim nunquam uenturum, &c.

**Da operam.**  
*Quaedam familiaria scribit.*

**Alexander faber ærarius.**

Duo genera describit illorum qui fauere uidentur euangelio, sed probantur in tentatione. Nam alij resistunt, & incipiunt oppugnare uerbum ueritatis, sicut Alexander: qui ut lupi cauendi sunt, qui suam mercedem apud iustum iudicem inuenient. Alij infirmitate humana dissimulant, non audent palam confiteri quod credūt: illis hoc ipsum non imputetur: erūt enim olim per Christum fortes, qui adhuc imbecilles sunt. Ex quorum numero fuerunt, qui Paulum deseruerūt, cum primum coram Nerone sisteretur: quod tamen tam triste malum cessit in maiorem Christi & euangelij gloriam, seruato eo, quem omnes deseruerunt: ut prædicatio euangelij per eum in gentibus compleretur. De quo nunc gloriatur, quod in manu dei perire non possit, dicens: Et eripiet, &c.

**F I N I S.**